

rum inventionum parentes. Tantum igitur abest, ut istiusmodi literariae velitationes aut duella finiantur; ut, cum planè sopita & è memoria hominum deleta credideris, vel post sæcula etiam resurgant ac pugnam resumant: quoniam rari & insoliti dogmatis non perinde hæres, ac inventor, statim intermoritur.

Talia quoque novæ illius ac veteribus incognitæ Sympatheticæ Vulnerum Curationis hætenus fuere fata. Primus hoc eruditæ Eridos pomum in aream & arenam Medicorum ac Philosophorum projecit famosus ille Paracelsus: quod ipsum postea avidè arripens Porta, exosculatus, hoc est, sententiam Paracelsi amplexus est; aliis clarissimis viris reclamantibus, & hoc Remedium, veluti Syriæ quoddam speciosum in speciem Malum, in fumos & cineres collabi existimantibus, si rationis & experientiæ legitimæ manibus apprehendas. Obiit Paracelsus, jacet Porta: Opinio nondum expiravit. Inventi enim hoc sunt sæculo, qui quamvis non omni ex parte vel vitam Paracelsi, vel dogmata probarent; illam tamen compendiosam sanandi per Compassionem methodum, ceu margaritam in fimeto repertam, non negligendam planè, sed potiùs, absterfis superstitionum & abusuum sordibus, Experientiæ medicinalis corollæ inferendam judicaverint. Primus inter hos *Crollius* anno Octavo istam curandi viam occasione Unguenti Armarii repetiit. Illi *Goelenius* Marpurgensis succenturiatus est, habitâ in gratiam ejus rei luculentâ Oratione: quam postmodum amplificatam anno *decimo tertio*